



# The Holy See

---

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE

**QUI RES AFRICANAS\***

DELEGATIO APOSTOLICA AFRICAE CENTRALIS  
SEU YAUNDENSIS ERIGITUR.

Ad futuram rei memoriam. — Qui res Africanas impenso studio consideramus, siquidem novae Civitates sunt constituae et populi ad profectum, huius aetatis proprium, impigre nituntur, peculiares curas, ut supremum munus pastorale postulat, ad religionem catholicam ibi tuendam provehendamque intendimus. Hac ducti mente Delegationem in Media Africa instituere decrevimus, quinque regiones ea in plaga comprehendentem, atque adeo bono fidelium ibidem degentium aptius consulere. Itaque, e consulto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi *Delegationem Africæ Centralis seu Yaundensem*, iurisdictioni eiusdem Sacri Consilii obnoxiam, erigimus atque ei territoria Rerumpublicarum Cammaruniensis, Ciadianæ, Congicæ Brazzapolitanae, Gabonensis atque ipsius Reipublicæ Africæ Mediae subicimus. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtainere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

*Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Aprilis, anno MCMLXV,  
Pontificatus Nostri secundo.*

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI

*a publicis Ecclesiae*

*negotii*

---

\*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 8, p. 578

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana